# Dissertatio medica inauguralis, de hydrothorace ... / eruditorum examini subjicit Gulielmus Wilson.

#### **Contributors**

Wilson, William. Royal College of Surgeons of England

#### **Publication/Creation**

Edinburgi: Excudebant Jac. Ballantyne et socii, 1809.

#### **Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/jcs2884u

#### **Provider**

Royal College of Surgeons

#### License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. Where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org

# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

HYDROTHORACE.

MANORTHURE, THE

DESCRIPTION MEDICAL

Ba

HYDROTHORACL

## DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

# HYDROTHORACE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

# D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIME FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

### Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJECIT

## GULIELMUS WILSON,

SCOTUS,

SOC. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

Pridie Idus Septembris hora locoque solitis.

#### EDINBURGI:

EXCUDEBANT JAC. BALLANTYNE ET SOCII.

1809.

#### DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

31 (1

# HYDROTHORACE;

QUAM,

ARMITECUTION DESCRIPTION ASSESSMENT

MALY MOROUGA ICHMANVAS ATATISOTOON NA

## D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIE EDINBURGENE PRESENT

MONONE

ASSESSMENT SENATUS ACADEMICS CONTRACT TO NOMINSER FACULTATIS MEDICAL DESCRIPTION

#### Pro Gradu Doctoric,

WITH AN LEGITIME CONNEQUENCES;

TIDENAUS INTERACTOR STRUCT

### GULLELMUS WILSON,

SCOTUS,

ACCURATE NO. 12 OR OTHER PORTS.

Priese Idea Systembrie horn factors willite.

EDINERIGE:

ALDORES ANTRALLANDAY TEARCHE

CORE

# ALEXANDRO DON, BARONETTO,

DE NEWTON DON,

HOCCE OPUSCULUM,

ANIMI, MULTORUM BENEFICIORUM

IN SE SUOSQUE COLLATORUM,

HAUD IMMEMORIS

TESTIMONIUM,

SUMMA OBSERVANTIA

D. D. C. QUE.

AUCTOR.

## MEXANDRO DON, BARGNETTO,

DE NEW YOR DON

MUSCLE OFUSCULE ME

AMORE, MULTORUM RENEFICIONERS

IN SE SPONGUE COLLATORUM,

ELECTRICALE GLICAL

TESTISIONING.

ALTERA ORSERVANTIA

D. D. C. quz,

APPOTOR.

PATRI

CARISSIMO

AMICOQUE OPTIMO

# ANDREAE WILSON, M. D.

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VULT

AUCTOR.

#### AUCTOR.

THEFT

SACRAS BSSE

STATE OF THE STATE

ANDREAE WILSON, M. D.

OMITTED TO COMMA

CARISHED

ARCO AL

## HYDROTHORACE.

Quum nullus crebrior inter genus humanum morbus grassatur, nullus, quam aquâ intercus,—vitae flammae gravior, optimo jure, medici, ad eam indagandam, acerrimo studio semet accinserunt.

Hic morbus alia atque alia nomina pro ejus sede sortitur. Si membranam cutis subjectam male habeat, Anasarca; si cerebrum, Hydrocephalus; si pleurae cavum aut cordis capsulam,—Hydrothorax; si abdomen, Ascites.

Quoniam de singulis disserere limites angustos quibus contineor exsuperaret; praecipua, quae, de hydrothoracis natura, et curatione, innotescunt, consilium est paucis memorare.

Cullenus hoc malum, classi Cachexiae, ordine Intumescentiae subjectum, sic lucidè
definivit: "Dyspnaea; faciei pallor; pe"dum oedemata; urina parca; decubitus
"difficilis; subita et sponte ex somno cum
"palpitatione excitatio; aqua in pectore
"fluctuans."

## HISTORIA SIGNORUM.

Hic morbus, certis ejus indiciis, ab ipso initio, non semper insigniatur, imò etiam interdum non nisi postquam jam adoleverit, eum planè perspiciunt medendi peritissimi. Nulli aetati, neutri sexui parcit; seniores tamen et valetudinem, præ usu liberiore laticum meraciorum, fractos, præ caeteris adoritur.

Caepisse solet, ponderis et anxietatis sensu ad imum sternum potissimum torquente; summa urget spirandi difficultas, paulatim ingravescens; aegerrimè ducitur et redditur anima nisi corpore erecto, eò ut inter decumbendum nonnunquam aeger ferè strangulatus sit; locis accliviis ascendente spiritus gravissimè turbatur; urgent sitis impatabilis, et tussis molesta, primo sicca, sed postea mucum educens; depravantur omnes functiones; vultus pallet; livescunt labra; torpent sensus omnes; imbecillitate conficiuntur musculi; cor sine norma salit; inequaliter, celeriter, debilissimèque arteriae micant, adest decumbendi difficultas, praesertim in sanum latus: urina parca fit rubrior quam ex consuetudine; ex eâ fuscum aut rubrum, copiosè subsidit sedimentum; tument, praecipuè vespere, pedes; pallet et aret cutis, alvus plerumque tardior, aliquandò fluit: somni leves, rarius aegro conciliantur; quod si dormiat, summâ molestiâ et cordis motu abnormi statim excitatur, diris somniis se exagitatum esse querens: aurorâ adventante, tandem aliquanto quietis fruitur aeger; quod si his indiciis accederet sensus laticis in pectore fluctuantis, id quod nequaquam est perpetuum; hydropem adesse pro certo habebis.

Neque raro accidit ut Brachium utrumque vel alterutrum torpescat, morbo progrediente, spiritus, et motus sanguinis magis magisque languent; vultus maerore contristatur; perit cibi desiderium; urget vorandi difficultas; et eo procedit morbus ut pulmohes, officio ritè peragendo prorsus impares,

collabuntur, et mors aerumnis miserum luctantem eripuit.

#### QUOMODO DIGNOSCATUR MORBUS.

Morbi hydrothoracem adeo simulantes ut medico perito sit errandum, sunt empyema, asthma, dyspnoea aquosa, et hydrops pericardii.

Empyema.---Si pus inter pleuram et pulmonem interesset, quaedam indicia propositi mali propria urgebunt, nempe sensus humoris fluctuantis, dyspnoea, decubitus in latus sanum difficilis, at vero inflammatio pulmonum praegressa, rigores, horrores, febris hectica, empyema semper, hydrothacem nunquam fere comitantur, quinetiam tumor pedum, aliaque hydropis signa Empyemati penitus desunt. Asthma.---Hic morbus accessiones et decessiones, certis fere temporibus habet, hydrothorax nequaquam; inter accessionem asthmatis vultus admodum rubere et turgere solet; at fere semper in morbo de quo nunc agitur pallescere; illi raro, huic saepissime urgent palpitatio cordis animaeque defectio, illi porro absunt pedum tumor, urina parca; et sensus angustiae in pectore contingit, nullo unquam laticis fluctuantis sensu.

Dyspnaea aquosa, haec uti nobis videtur initium hydrothoracis est habenda; tandem enim humor in cavum pleurae effunditur, omnia hujus affectus indicia superveniunt; proinde, diagnosin, inutilem et supervacuam esse judico.

Hydrops Pericardii, ut humor in cavam pleurae, et non in pericardium effundatur

wix aut ne vix fieri potest; eoque hac voce Hydrothorax uti consuêrunt Medici, ad utrumque designandum; dignoscere igitur parum utile nobis videtur; et magis eo, quod utrique convenit eadem medendi ratio. Hoc autem interesse volunt auctores, quod Hydrope Pericardii laborans, corpore antrorsum inclinato melius, erecto pessimè se habet; quod palpitatio cordis gravior est, arteriae magis imbecillè et inequaliter micant, et syncope saepius quam in hydrope pleurae solius, urget.

# QUAE CADAVERE SECTO PATE FIUNT.

Causas et effectus morborum ferro explorare medici summo studio semper conati sunt ut inde medendi certam rationem perspicerênt: hoc auxilium autem raro multum valet, tam difficile est, inter causas etm orborum effectus rectè dignoscere; horum, haud immemor, hanc argumenti partem, breviter absolvam.

Aliquando latex in cavo pleurae unicò miserum occidisse videtur: Saepius tamen pulmones praeter consuetudinem induravisse vel etiam suppurâsse conspicitur. Neque raro contingit ut abdominis viscera, potissimum jecur, ventriculus et pancreas corrumpantur; quatenus tametsi haec vitia hunc morbum induxerint, minime pro certo habemus, fortasse vires concoquendi eoque totum corpus debilitando agunt.

Quod ad molem humoris in pectore; aliis alia existet; librae plures interdum inveniuntur.

Benè multae cordis pravitates ejus motum turbantes, et infirmantes, subinde observantur; valvularum ossificatio et ipsius cordis amplificatio, imbecillitas, &c.; quæ omnes utpote hoc malum molientes infra memorandae erunt, polypi cordis, nonnunquam reperti sunt, sed huic morbo nequaquam proprii, fortassè inter moriendum aut vitae flamma extinctà confecti.

#### CAUSA PROXIMA.

Hâc voce causa proxima, hic ex consuetudine utor, etiamsi Gregorii celeberrimi auctoritate nixus, eandem parum lucidam aut accuratam habeo. Causa hydrothoracis proxima est utraque vel alterutra pleurae cavitas latice oppleta. Aucta verò arteriarum exhalantium, vel imminuta vassorum resorbentium actio, vel utraque ut aliqui volunt conjuncta, hanc humoris congestionem plerumque faciunt; me tamen judice, utrumque vassorum genus in hydrope relaxatur.

Huc referenda sunt omnia quae corporis vires infirmant. Cibus tenuior et parcior; ratio vitae iners et desidiosa; latices meraciores, largius assumpti; lubido immodica; excitatio corporis vehementior, ultra fatigationem vel sudorem; motus animi contristantes, quales timor, moeror, si quod primo ventriculi debilitatem faciens, inde corpus ejusdem imbecillitatis particeps reddet. Ebrietas crebrior; naturae narcoticae, opium, thea caffea et similiae largius ingurgitata; exinanitiones praesertim sanguinis. Faeminae autem quibus contingunt fibrae moliores indolesque corporis delicatior, propriam ad hunc morbum proclivitatem habere videntur. Coelum frigidum et humidum; loca » paludosa; halitu per cutem impedito fortasse auctà resorptione, etiam opportunitatem

### QUAE NOXAE MORBUM EXCITANT.

Omnia cava corporis humani humore tenui continuò humectantur, hic ex arteriis exhalantibus dictis defluit; quò minus verò hoc latice congesto quoquomodo corpori noceatur, natura provida alterum extruxit vassorum genus, quae eundem uberiorem reciperent et in sanguinis massam reveherent. Proinde si genus utrumque vassorum proprio officio ritè perfungatur, i. e. si exhalatio resorptionem ferè equaret, aquam inter cutem non fieri posse, satis superque constat; quod si illa hanc exsuperaret necesse est ut dirus hydrops consequatur. Duplicis igitur generis sunt noxae hunc morbum excitantes.

- 1. Quae exhalationem intendunt.
- 2. Quae resorbendi facultatem imminuunt.

Quodcunque impedit quo minus sanguis per venas tardius et difficilius ad cor rediret ad illud genus, planè referendum est; hujusmodi sunt ligamenta apud artus aut collum; cor impeditum et debilitatum, ejus valvulis in oseam naturam conversis; arteriae majores vitio consimili laborantes; presertim aorta ubi se arcuat. His enim pravitatibus, sanguis per pulmones difficulter fluit, et horum arteriae ut sese expedirent plus solito necessariò exhalant. Quinetiam huc referenda vitia pulmonis, quo minus, facile sanguis iter faciat corde dextro ad sinistrum, vetantia; nimirum tubercula, aliudve impedimentum; unde fit ut asthma hydrothorax haud raro consequatur: Porro venae ex quâcunque causa, magis justo distentæ, mensibus, haemorrhoide aut alià quâlibet exinanitione suppressis; sic enim gignuntur vasorum plenitudo, difficilius sanguinis trajectus ab arteriis in venas eoque liberior exhalatio. Eundem effectum praestant potus tenuior et egelidus, corpore jam antea calefacto, acceptus, sanguis saepius et largius detractus; subtractis sanguinis enim particulis rubris et fibrina eoque vasis resolutis, serum, facilius effluit.

Quaecunque causae exhalationem augent, etiam resorbendi facultatem, imminuere inveniuntur: illae enim vires corpus labefaciendo agunt, et vasa resorbentia non hujus debilitatis participia esse minimè credendum. Vasorum lymphaticorum aut glandulorum ad haec pertinentium, strumosa labes certève obstructio a quibusdam ad hoc noxarum genus spectare putatur: At vero necne haec causa per se hydropem gignere possit, valde dubium est: fortasse hujusmodi tumores, si quando hoc efficerent venas comprimendo potissimum agunt.

#### RATIO SIGNORUM.

Spirandi difficultas. Vita omnium animalium quae spiramentis instruuntur, maximè ab aëre in pulmones accepto pendet, hic tamen non accipi potest in pulmones ut amplificari possint, quia latex haud parum impedit; hinc tardius sanguis per pulmonem, fluit a dextro ad sinistrum cor, eoque in omnibus venis abundans, praecipue superioris partis, istam facilè livorem qui morbo provecto observatur gignit.

Facies Pallida. Hoc signum tribuendum est partim debilitati, quâ humores intus praecipuè vertuntur, partim sanguinis inopiae in corde sinistro et arteriis a causa jam dicta et partim aquosæ sanguinis parti praeter solitum abundantı.

Urina Parca. Haec magna ex parte cordis et arteriarum imbecillitate nititur; etiam humoribus majore solito copia ad pectus avocatis; ex eadem causa ni fallor parca sunt omnia secernenda et excernenda nimirum halitus cutis, saliva, humor intestini, &c.

Aqua pedum subter cutem. Haec etiam quodammodo a corporis debilitatê generali exoriri videtur; at imprimis et ni fallor potissimum e sanguine aegerrimè per pulmones transeunte; unde fit ut vena cava inferior magnoperè impleatur, et sanguinis iter ab arteriis in venas inferioris partis, difficilimè absolvatur; et indè augeatur exhalatio ex arteriis conjugis; quinetiam, facilis est ratio tumentium pedum magis vespere quam mane, scilicet omnes cellulae istius membranae cuti subjectae, alia in aliam hiantes.

Decubitus difficilis. Aegro decumbenti, spirandi difficultas et molestia ingravescunt; quia tum latex, ad superiorem partem pectoris ascendens magis pulmonem
premit et fistulas spiritales impedit, et quia
præ lege quâ omnia, suo nutu deorsum tendunt, et obstantibus visceribus abdominis
in hoc situ corporis, septum transversum
difficulter descendit: hinc patet respirationem facillimam esse, trunco corporis erecto;
aequè difficilis explicatu est decubitus in
sanum latus molestus si quando alterum
solummodo pectoris cavum laborat; nimirum in eo situ mediastino per humorem
presso cavitas sana coarctatur.

Subita e Somnis Excitatio. Hoc indicium fere ad causam mox memoratam est referendum; neque tamen ignorare oportet magnam vim aquae in capsulâ cordis saepe huic morbo accidentem, hujus motum idoneum

cohibendo ad hoc signum excitandum plurimum conferre.

Brachii alterutrius vel utriusque torpor, hujus signi ratio haud parvâ caliginê versatur; consensû inter nervum phrenicum qui aquâ premitur; et plexum axillarem, fortassè tribuendum est.

Cordis palpitatio, sanguis per pulmones aegrè fluens cor dextrum praesertim opplet, et idem ad motum abnormem excitat; haec actio validior autem debilitatem citò molitur, unde arteriae simul inaequaliter et imbecillè moventur.

#### PROGNOSIS.

Hoc dirum malum fere semper serius ocius pro aegri aetate, noxis admotis &c. in fatum desinit, si levius urgeret, hominis aetatê haud provectâ, levamen, imò forsan interdum plena morbi sanatio sperandum erit.

Quod si graviora instarent signa, ipse laborans senior esset luxu vè antecedente confectus; eo magis si pulmonem tuberculis aliove impedimento instrui ritè suspicemur, necesse est ut miser citò absumatur: Quo diuturnius malum fuerit eo magis desperandum esse oportet. Alvus sponte neque nimium aut citra voluntatem hominis fluens bonum; at colliquans horrendum; urina uberior bonum auguratur; halitus per cutem auctior neque profusus, indicium faustum est. quanto gravior spirandi difficultas quantoquè major debilitas tanto propius instat fatum.

#### RATIO MEDENDI.

Triplex est Medendi consilium.,

- 1. Oportet causas remotas summô studiô quantum fieri potest evitare.
- 2. Aquas medicamentis vel manû educere.
- 3. Obstare quo minus iterum effundantur, vires corporis refocillandô et firmandô.
- 1. Ad primum medendi consilium exequendum, sedulò removendae sunt istae noxae quae morbum progignere solent, praecipuò potus meraciores assumti, frigus, et humor, omnes causae debilitatrices. Si jecinoris aliusve visceris durities et amplificatio adesse

videantur, hydrargyrô ceteris idoniis auxiliis utendum erit.

2. Quod ad secundum consilium, vel viis quas ipsa natura praebuit, vel artê chirurgicâ latices sunt eliciendæ; ut illâ ratione tollatur; alvum et urinam movere halitumque cutis augere, aliquandò vomitum ciere oportet: auxilia quae haec prestant, Cathartica, Diuretica, Diaphoretica, et Emetica, apud medicos nominantur; quantum haec vasa resorbentia incitarent nostrô judiciô dubium est.

Cathartica. haec autem vel mitia vel acria sunt; acria vel drastica, prae facultatê quâ praedita sunt, vasa intestini exhalantia incitandi, eoque aquam summovendi, in hydropê curandô ceteris anteponuntur; neque tamen inficiendum haec saepius assumpta vires admodum labefactare, nempe

exinaniendo et vasa relaxando: optima sunt Stalagmitis Gambogioides, Convolvolus Scammonia et Jalappa, Cucumis Colocynthis, Submurias Hydrargyri et plerique sales medii, brevissimô temporê interjectô, haec utenda dummodò vires aegrotantis patiantur.

Diuretica. Haecce maxima horum est laus, quod plurimum exinaniunt, neque tamen hominem infirmant; eoque saepissimè iis in hoc morbo utuntur medici; at vero incerto sunt praesidio; aliquando nihil omnino urinam promovent. Usitatissima sunt, Digitalis Purpurea, Scilla Maritima, Nicotiana Tabacum, Supertartris Potassae.

Digitalis Purpurea. Witheringio spectato hujus plantae usum in hydropes debemus. Ille primus omnium in hoc morbo, felici eventu eam adhibuit: probè admota videtur, in aquam inter cutem omnigenam quodam

modo valere: quibusdam equidem placuit, pectoris hydropem prae ceteris hujus remedii ope esse depellendam: foliae in usû sunt; eorum praeparationes sunt, Pulvis, Tinctura, Infusum: cautissimâ manû iis utendum est: largior enim modus, pessimos edit effectus, nauseam scilicet, vomitum, vertiginem, porrò motum arteriarum valdè sedat et infirmat: his indiciis instantibus, hâc plantâ quam primum est abstinendum, nostrô judiciô nequaquam famae primae respondit.

Scilla Maritima. Haec radix etiam saepissimè in usû est; vel concreta, vel fluida assumi solet, hâc rationê praeceptâ minus ventriculum offendit, si hydrargyro accideret valentissimum est remedium; parcissimè est utenda, quia facilè vomitum excitat, et aegro plurimum molestiae tunc affere consuevit: è parvulis modis paulatim augendis est incipiendum.

Nicotiana Tabacum. Fowlerus vim quâ gaudent hujus foliae, urinam movendi multum laudat; ea praecipere solebat ex aquâ vel vinô, tantillâ quantitatê acceptâ ut ventriculus leniter incitetur et nausea paulisper cietur.

Super Tartris Potassae. Magnoperè juvat haec sal non solum urinam, verum alvum leniter movendo.

Diaphoretica, Constat uti supra comprehensum est, aquam intercutem saepè e corpore, praesertim jam calefacto frigori opportuno. Haec noxa, halitum cutis impediendo, morbum infert: eoque auxilia hunc evocantia maximi medicorum adhibere refert; praepollent autem ex antimonio preparata, qualia sunt, tartris antimonii et potassae, oxidum antimonii cum phosphate calcis; neque parvi habendum, opium cum pulvere ipecacuanhae conjunctum, eodem spectant potus diluti, vestitus è pannô lanneô, haec tamen citra sudorem qui valdè infirmat utenda.

Emetica. Vomitus, excitando vasa cutis et fortasse resorbentia, juvare videtur, vomitoria ex antimoniô parata optime valent. Quodsi aeger proclivior ad apoplexiam aut paralisin esset, vitanda sunt, quippe quae sanguinis flumen ad caput adaugent.

Aquae duplice ratione educi possunt ope artis Chirurgicae, vel exulceratoriis, vel eo artificio cui nomen paracentesis. Exulceratioria sunt vesicatoria, fonticuli et setacea. Nostrô judiciô haec omnia è duabus causis plerumque nocebunt: primum quia materiam detrahendô vires resolvunt; dein prae-

sertim quia praè debilitatê ipsum morbum comitantê cutis laevissimâ plagâ diruptâ saepe gangrenam patitur.

De paracentesi non meum est fusius disserere; cavendum ne inter exhauriendam, aer in pectus intraret animae vè defectio accideret; hoc artificium mê judicê multò magis in ascitô valebit.

3. Quod ad consilium tertium pertinet, medicamentis quae vires reficient, victû idoneô et exercitationê est exequendum.

Inter medicamenta jam dicta praestantissima sunt preparata ex ferrô, cinchonâ officinali; omnia quae non solum corpus, sed etiam ventriculum potissimum roborant.

Cibus validior e carnibus, assis vel elixis utendus qui bene nutriens haud aegrè concoquatur; juvabunt vinum rubrum Lusitanicum, et Cerivisiae meraciores, praecipuè quae Anglicè Porter nominatur, pessimum est alcohol, nisi fortassè admodum dilutum et baccis juniperi imbutum.

Exercitatio nequaquam est praetermittenda; quippe quâ nihil fere ad incitandum et firmandum corpus, atque cor et arterias ciendum, magis conferat. Ambulare aut equitare
prestat quia musculi artuum sic magnoperè
exercentur; aeger imbecillior currû est vehendus, pedes opê strigilis fricandi neque
res est exiqui momenti ut fricationes ab inferioribus ad superiores adscendere debent,
presertim horâ matutinâ et panno laneo vestiendi.

FINIS.

EDINBURGI:

Excudebant Jac. Ballantyne et Socii.

## ERRATA.

| Page 1.       | line 7.   | pro         | Accinserunt  | lege         | Accinxerunt,  |
|---------------|-----------|-------------|--------------|--------------|---------------|
| _             | 9.        |             | Cutis        |              | Cuti.         |
| 2.            | 8.        |             | Ordine       |              | Ordini.       |
| 3.            | 7.        |             | Sternum      |              | Sterni        |
| -             | 18.       |             | Inequaliter  |              | Inaequaliter. |
| 5.            | S.        |             | Eripuit      |              | Eripiat.      |
| 6.            | 13.       |             | Dyspnaea     |              | Dyspnoea      |
|               | last line |             | <b>U</b> t   |              | At.           |
| 7.            | 11.       |             | Inequaliter  |              | Inaequaliter. |
| 8.            | 5.        |             | Unicò        |              | Unice.        |
| 9.            | 18.       |             | Vassorum     |              | Vasorum.      |
| -             | last line |             | Do.          |              | Do.           |
| 10.           | 7.        |             | Excitatio    |              | Exercitatio.  |
| -             | 14.       |             | Similiae     |              | Similia.      |
| 11.           | 12.       |             | Equaret      |              | Aequaret.     |
| 12.           | 9.        |             | dele Aorta   |              |               |
| - last but 2. |           | Difficilius |              | Difficilior. |               |
| 13.           | 7.        |             | Effluit      |              | Effluet.      |
| 14.           | 11.       |             | Istam        |              | Istum.        |
| 20.           | 10.       |             | Prestant     |              | Praestant.    |
| — last but 3. |           | Ceteris     |              | Caeteris.    |               |
| 22.           | 5.        |             | Do.          |              | Do.           |
| -             | 4.        |             | Depellendam  |              | Depellendum.  |
| - last line   |           | Affere      |              | Afferre.     |               |
| 23.           | 9.        |             | Cietur.      |              | Cieatur.      |
| _             | 11.       |             | Haec         |              | Hic.          |
| 25.           | 6.        |             | Exhauriendar | n            | Exhauriendum. |
| 26.           | 10.       |             | Prestat      |              | Praestat.     |

| de Medinianista | A dougonion A one | fine 7.  |         |
|-----------------|-------------------|----------|---------|
| Curt.           | eine ?            | 0.       |         |
| Code de Company |                   | .a       |         |
|                 |                   |          |         |
| de lougandicie  |                   |          | and the |
| Eripiat.        | aingh T           |          |         |
|                 |                   |          |         |
| J. C.           |                   |          |         |
| Smallsupport .  |                   |          |         |
| Join U          | Consti            |          |         |
| Vamouni         |                   | .81      |         |
| The same of     |                   | net line |         |
| "Ichaian at     |                   |          | 10,     |
| ALL STATES      | La walliming      | art is   |         |
| Language Co     | and the second    |          |         |
|                 |                   | 1.00     | 2100    |
| AS TOTAL        | anillation of     |          | ed -    |
|                 |                   | 7.       |         |
| Sommer          |                   |          | 215     |
|                 |                   |          |         |
| Cuctonia.       | Cerenia           |          |         |
|                 |                   |          |         |
| Depellending    | Lapellendam       | 4        | -       |
| Affirme.        |                   | and see  |         |
| Cicatur         | Ciency grant      |          | .89.1   |
|                 |                   |          |         |
|                 | maliminated Sign  | 6.       | 25%     |
| Far Parsint L.  | in in the same of |          |         |
|                 |                   |          |         |